









1700.

1. Lehne, Arnoldus Huricus: De mercatorum necessitate ac utilitate in civitatibus.

1702.

2. Lysdell, Simon: De injuriis

1704.

1. Ansel, Johannes: De cometarum dissonantia juris civilis ac Lubecensis circa hereditatem, quae ab intestato defertur.

2. Huger, Johannes Huricus: De poena per duellum

nio

3. Lischovius, Andreas Franciscus: Hypocrosis in medicina

4. Lehne, Arnoldus Huricus: De imaginibus principum

5. Harius, Verid: De criminis abolitione.

1701

6. Thoen, Georgius : De omnium in republica usu
7. Seaberlich, Fridericus : Utrum in republica bene constituta sint toleranda asyla?

1703

1. Schremerus, Petrus : De jure domum.
2. 2. Aufl. Ed. 1704

1704.

1. Hoyer, Johannes Henricus : De consciis criminum.
2. Schremer, Petrus : De illicita juris remuneratione
3. Mariskii, David : De obligatione successoris fundalis ex facto antecessoris.

1705

- Hoyer, Joh. Henricus : De rogatione testium in testamentis

1706

1. Anselm, Johannes : De successione collateralium
secundum jus Calense
2. Hojer, Johannes Henricus : De periculo rei ad gestum
emptae venditae.
3. Tilerius, Barthasus : De redemptione militum
captivorum.
4. et Tilerius, Barthasus : De homicidio et alapis
= " " 2 Sumpt. 1712 - 1744.

1707.

1. Ewaldt, Benjamin : De obstetrice inculpata
2. Ewaldt, Benjaminus : De Forturis.
3. Schreiber, Michael : De bello ab imperio ampliatum
Lionem suscepto
4. Slawinski, David : De jure occupandi res hostiles.
5. et Tilerius, Barthasus : De sigillo confessionis.

Ri. 3. num. 31. P. 25.

20
DISPUTATIO IVRIDICA, 1703, 2
DE
IVRE DOMVVVM,

Vom Recht der Häuser / 12

QVAM

ASSISTENTE DEO,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO;

DOMINO

FRIDERICO VVILHELMO,

REGNI PRUSSIAE, ELECTORATVS ET PROVINCIAR.
BRANDENB. HEREDE, ETC. ETC. ETC.

CONSENTIENTE AMPLISSIMA FACVLTA TE IVRIDICA,
SVB PRAESIDIO

VIRI PRAENOBILISSIMI, CONSVLTISSIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI
DOMINI

PETRI SCHWENNERI,

V. I. LIC. ET PROF. PVBL. CELEBERRIMI,

FAVTO RIS ATQVE PRAECEPTORIS SVI COLENDISSIMI,

IN ACADEMIA PATRIA,

HORIS LOCOQVE SOLITIS

AD D. XI. DECEMBR. ANNO CLXIII. CC III.

PVBlicAE VENTILATIONI SVBIIICIT

A V T O R

IOHANNES SCHROEDER,

REG. PRVSS.

EDITIO SECVNDA.



178
IENAE, Typis HELLERIANIS, 1724.

Small rectangular paper label on the left side of the page.

UNIVERSITÄT
SACHSEN-ANHALT
MAGDEBURG





Q. D. B. V.

CAP. I.

CONTINENS GENERALIA

DE

IVRE DOMVVM.

§. I.



Necessitatem & indigentiam aedificiis dedisse originem vix negari poterit. Cum enim homines primis post conditum mundum temporibus, partim solis æstu, partim etiam frigore infestarentur, neque ullum haberent receptaculum, quo se reciperent, casas atque tuguriola ex virgultis parabant, vel in speluncis degebant ad vim frigoris evitandam. Mox ab hirundinibus aedificandi artem edocti, ex virgultis intermixto limo aedificia, uti hirundines nidos parabant. *Vitruvius, de Architectur. Lib. II. c. 1.* Postea vero rudibus illis aedificiis semper quid additum, postquam homines ad opera expeditiores & promptiores ac ad nova invenienda accuratiores evaderent, ita ut crescente peritia ac arte aedificandi, non tantum ad necessarium usum, sed & ad utilitatem & voluptatem aedificari coeptum sit: donec tandem ars aedificandi

A 2

112

ita exulta, ut non tantum ad domus conjungendas, pagos & vicos construendos, sed & ad urbes condendas sit devenum.

§. II. Hanc ædificandi originem agnoscit JCrus in *L. 5. ff. de J. & J.* quando ex Jure Gentium ædificia collocata esse asserit. Majori tamen industria ædificia à Romanis exulta, & in magno pretio Architectura fuit, cum non tantum privata, sed & publicæ cure fuerit ædificia extruere, & extructa conservare. Peculiares enim Magistratus à Romanis erant constituti, qui ædibus præsent, *Ædiles*, dicti ab ædibus *L. 2. §. 21. ff. de O. J. Tholosan. de Rep. L. II. c. 10.* Quin etiam varias Leges & Constitutiones de ædificiis promulgatas reperimus: sic occurrit inter titulus in *D. & C. de Operibus publicis*; tit. in *C. de palatiis & domibus Dominiceis*, item, tit. in *C. de ratiocinis operum publicorum*, & similes. De privatorum ædificiis & domibus privatis etiam non desunt Leges & Constitutiones, sic existat *t. i. in C. de ædificiis privatis in tit. ff. de Offic. Præsid. L. 7. in Instit. §. 29. 30. de R. D. & A. R. D.* quo etiam possunt referri *tit. in ff. & C. de Nov. oper. nunciat.*

§. III. Hæ domus tanquam ædificia privata, materiam & ansam præsent huic labori dederunt, ita ut constituerim speciminis loco Dissertationem *de Jure Domuum* conscribere. Fateor equidem prolixam & in omni penè corpore Juris diffusam esse materiam, ita ut paucis pagellis exhiberi vix possit, attamen potiores dispositiones de domibus brevibus lineis & capitulis includere annitar, ut *Cap. II. sit de Jure Domuum circa Jus in Re. Cap. III. de Jure Domuum circa Jus ad Rem. Cap. IV. de Jure Domuum circa Processum.* Inprimis tamen methodum atque ordinem

ordinem Imperatoris, quem in Institutionibus adhibuit, observare studebo. Quæ omnia si non accurate fuerint tractata, cogitabis B. L. hæc esse primitias studii Juridici, & futuro tempore maturiores fructus expectabis.

§. IV. Antequam autem ipsam Tractationem aggrediar, è re erit, pauca de significatione ipsius Tituli referre *L. 1. ff. de reb. cred. ne illotis manibus*, ut cum Jcto in *L. 1. ff. de O. J. dixerim*, huic negotio accedam. Nates vocabuli domus in græca voce *δῶμα* quærunt *Becman in Orig. Lat. Ling. p. 308. & Tholosan. in Synt. Jur. Univers. L. I. c. 12. n. 2.* Neque uno modo vocabulum domus in Jure accipitur; Denotat enim *Domus* aliquando *familiam*, *L. f. ff. de Off. Pres. L. 195. §. 2. ff. de V. S.* Præcipue autem Agnati sub nomine domus intelliguntur. *Corn. Vol. 1. Conf. 55.* sive qui sanguine invicem juncti sunt, & eadem arma & insignia ferunt. Aliquando significat *locum habitationis* seu ipsum *domicilium*. *L. 203. ff. de V. S. L. 1. §. 2. ff. de agn. & alend. lib. sive Domus* illa sit conducta, seu aliena, sive propria *L. 5. §. 2. ff. de injur.* Vel denique denotat rem ad habitandum destinatam, quatenus solo & superficie constat. Et in hac significatione sumitur vel *late*, quatenus sub domo hortus, stabulum, apotheca & similia connexa intelliguntur, quæ tamen Domus non sunt, sed appellatione Domus veniunt. *Insb. Concl. 618. 619. lit. D.* vel *strictè*, uti hic sumitur, & describitur, quod sit *adificium, constans solo & superficie ad inhabitandum destinatum.*

§. V. Pro voce Domus aliquando usurpatur vocabulum *ædes* in numero plurali, in singulari enim numero *ædes* pro templo sumitur apud probatæ Latinitatis Auctores; In Jure Civili tamen etiam in singulari *ædes* Do-

num denotat, uti constat ex *L. 7 §. 2. ff. de Minor. ubi dicitur: Hodie solet pecunia in adem deponi, & L. 3. C. de Locat. Ade, quam te conductam habere dicis. Adium enim appellatione omnes ædificii species comprehenduntur L. 9. ff. de incend. ruin. L. 1. §. 8. ff. de Cloac. Et quanquam nonnulli inter ædes & domum hanc constituent differentiam, ut dicant, ædes illas dici, quæ actu non inhabitantur, Domum vero in qua habitat paterfam. *Auson. Popma de different. Verb. Lib. I. voc. Aedes.* Promiscue tamen in *LL. vox ædium & domus usurpatur Vid. L. 15. §. 12. 13. ff. de damn. infect. L. 22. C. de administ. Tut.* Nonnunquam Domus dicitur *prædium urbanum*, item *ædificium*, cum hoc sit genus, domus vero species *all. l. 22. §. Nec vero.**

§. VI. Dividi solet domus in mobilem & immobilem. *Mobilis* est, quæ ita constructa ut de loco in locum transferri queat. Sic de Numidis refert *Plinius Lib. V. Hist. Nat. c. 3.* quod habuerint domus portatiles ipsorum inhabitationi inservientes, quas plaustris impositis circumtulcrunt. Simile quid de Tartaris perhibent, eos casis ejusmodi, quas *Hordeu* vocant, uti, easque de loco in locum transferre solitos esse. Verum dubito, an hæ proprie domus dici possint, cum terræ non sint affixæ *arg. L. 18. ff. de Act. Em. L. 10. ff. quod vi aut clam.* *Immobiles* sunt, quales supra descriptæ. Deinde dividuntur ab usu in privatas & publicas. *Publicæ* sunt, quæ publicis usibus sunt destinatæ. *Privatæ* quæ privatorum usibus inserviunt. Præterea Domus alia est *libera*, alia *serviens*, prout domus aliqua in altera habet servitutem constitutam, vel alteri debet servitutem. Hic tantum de domibus immobilibus, privatis, tam liberis quam servientibus

OS (O) SO 7
tibus sermo erit. Juris vocabulum etiam varie sumitur,
utri videre est ex L. 1. L. 11. L. 12 ff. de J. & J. conf. Habn ad
Wesemb. tit. de J. & J. n. 14. voce: varie quoque &c. Hic
sumitur pro eo, quod in Jure de domu disponitur, seu
quod circa Domum justum vel injustum est.

CAP. II.

DE JURE DOMVVM

CIRCA
JUS IN RE.

§. I.

Imperator antequam Jus in re aggrediatur, praeimit
Jus Personarum, ait enim, *prius de personis videamus:*
nam parum est jus nosse, si persona, quarum causa con-
stitutum est, ignorentur. §. ult. J. de J. N. G. & C. Verum
hunc tractandi modum hac vice sequi non licet, partim
ne ultra propositum hoc specimen crescat, partim quia
alii hunc laborem anteverterunt, inter quos praecipuum
locum sibi vindicat *Illust. Dn. Stryck.* qui in eleganti *Disp.*
de Jure Domesticorum fere omnia, quae hic dici poterant,
examinavit. Quapropter statim Jus in re aggredior, ubi
primo se offert acquisitio domus. Acquiritur hac vel
Jure Gentium, scil. Inaedificatione & Traditione, vel Jure
Civili, & quidem vel per modum aliquem singularem,
scil. Usucapionem, Donationem, Legatum: vel per mo-
dum universalem, nempe per hereditatem, de quibus
omnibus inspecie in subsequentibus.

§. II.

§. II. *Inædificatio* tunc tribuit Dominium domus, si in solo meo fuerit domus ædificata, omne enim quod solo inædificatur, cedit solo. §. 29. *J. de R. D. L. 7. §. 10. ff. de A. R. D.* Distinguendum autem probe, an quis ex sua materia in suo solo, aut ex sua materia in alieno solo, an vero ex aliena materia in suo solo, aut ex aliena materia in alieno solo ædificet. Primo casu si quis in suo solo ex sua materia ædificaverit, tunc indistincte domus extructa soli Domino cedit, tam ratione soli, quàm ratione materia, quod enim ex meo fit, meum esse intelligitur *L. 12. §. 3. ff. ad exhib. L. 25. ff. de V. S.* Secundo casu si quis ex sua materia in alieno solo domum extruat, tunc domus fit illius, cujus est solum §. 30. *J. de R. D. L. 27. §. 12. L. 28. ff. de A. R. D.* Quomodo autem hoc casu Domino materia satisfiat, vid. *Schneider. ad §. 29. J. de R. D. Struv. in Ipr. R. G. F. Lib. II. Tit. I. §. 49. Carpov. P. III. C. 31. D. 10. Menoch. L. III. Presumpt. 32. Klein. in Disp. de Donatione Presumpta c. 2. n. 229. Frantzke ad ff. tit. de Rei vindicatione n. 80. adde Schilter. ad ff. Exercit. XVI. §. 57.* Tertio casu, si quis in suo solo ex aliena materia domum extruat, tunc quidem ædificans seu Dominus soli consequitur. Dominium Domus extructæ §. 29. *J. de R. D. L. 30. ff. de R. V.* Domino tamen materia non denegatur Actio. Qualis vero actio illa sit, vid. apud *Hilliger. ad Donell. L. IV. c. 33. Bachov. ad J. tit. de R. D. Ziegler. in Disp. de sign. juncto §. 19. & seq. conf. hic Disp. Inaugur. Excell. atque Consultiff. Dn. Johann Stein J. U. D. & Prof. P. Ord. Tert. Patroni atque Præceptoris mei æternum colendis; de Consonantia J. Civil. & Natur. in effectibus Domini c. 2. §. 14.* Ultimo casu, si quis domum ex aliena materia in alieno solo extruat, tunc Dominus soli fit

fit Dominus domus, neque Dominus materiae agere potest
adversus soli Dominum, manet enim Dominus materiae,
& domu diruta vindicat tignum. L. 2. C. de Rei Vindic. ibi-
que *Brumm. Hilliger. ad Donell. l. c. lit. I.* Hanc Juris Civilis dis-
positionem sequitur *Jus Pruten. Lib. III. Tit. I. Art. 7.* Per tra-
ditionem domus dominium acquiri certum L. 20. C. de Pact.

§. III. Præterea Jure Civili & Usucapione uti alia-
rum rerum, ita quoque domus, dominium acquiritur.
Donatione quoque acquiritur domus, sive illa sit inter vi-
vos, sive mortis causa. Modus tamen donandi est diver-
sus. Si enim quis inter vivos donet, & domus donata
summam 500. solidorum excedat, requiritur ut donatio
actis insinuetur. §. 2. *J. de Donat. L. 36. in fin. C. de donat.* Si
autem donationis insinuatio omittatur, donatio est invali-
da. Jure Prutenico quælibet res immobilis, licet illam
summam non attingat, addita causa donationis insinuari
debet. *Pr. Landr. L. IV. T. XIV. A. 2. §. 5.* Vid. *Stryck de C.*
C. Sect. III. c. 9. §. 5. Præterea donatio inter vivos non fa-
cile potest revocari, est enim hæc pactum legitimum L.
35. C. D. *Donat.* Hinc si donans poenitere velit, Donatarius
habeat *Conditionem ex L. 35. C. de Donat.* Nisi justæ & à
Lege approbatæ causæ emerferint, quas recenset, *Excell.*
atque ampliff. Dn. Præses, Fautor ac Præceptor colendissimus
in Disp. Inaug. de Jure Poenitentis c. 2. §. 5. 6. Alio modo au-
tem fit Donatio mortis causa, in hac enim expresse adden-
dum fieri hanc donationem mortis causa, alias habetur pro
donatione inter vivos, & donans amittit jus revocandi Do-
nationem, quod in donatione m. c. semper donatori salvum
est. L. 27. L. 29. *ff. de m. c. donat.* Neque omnis moriens
m. c. donat L. 42. *in ff. eod.* nam aliquando etiam in dona-

tionem inter vivos mortis mentio injicitur, v. g. Sejo cum moriar domum meam dono, non tamen propterea in donationem m. c. degenerat. Dispositionem Juris Pruten. de donationibus *Vid. Pr. R. Lib. V. Tit. 9.* Hoc adhuc circa donationes notandum, quod licet J. Civili donationes inter virum & uxorem sint prohibitae L. 1. L. 2. L. 3. ff. d. donat. inter vir. & uxor. nihilominus tamen ad refectionem adium donare conjugibus sit permissum L. 14. ff. eod. *Berlich. P. II. C. 15. n. 21.*

§. IV. Antequam ad modos acquirendi Juris Civilis ex ultima voluntate progrediar, paucis videndum, quis domum predictis modis alienare, & in alium transferre queat? & in genere dicimus, quemlibet Dominum Domum suam libere alienare posse L. 21. C. Mandat. ibique *Brunnem.* nisi specialiter lege prohibeatur; Sic maritus domum, cujus Dominium ex causa dotis in specie ad maritum est translatum L. 13. §. 2. ff. de fund. dot. per L. Juliam alienare prohibetur L. 4. ff. de fund. dot. L. un. §. & cum Lex. C. de rei ux. act. Qualis facultas marito circa alienationem domus dotalis hic in Prussia competat, patet ex *Pr. R. Lib. IV. Tit. VI. art. 2. §. 7. & Tit. XV. art. 5. §. 1.* Item pupillus sine auctoritate Tutoris domum alienare nequit. §. ult. J. quib. alien. lic. vel non. conf. hic pluribus *Dn. Stryck de C. C. Sect. I. c. 2. §. 12. Pr. R. Lib. 2. Tit. VI. Art. 7. §. 1.* Tutor quoque expresse domum pupilli, in qua defecit pater minor credit, in qua majorum imagines aut non videre fixas, aut rebus suas videre satis est lugubre, alienare prohibetur. L. 22. §. Nec vero domum C. de administ. Tut. vel Cur.

§. V. Jam cum Imperatore ad ultimas voluntates me accingo, consideraturus, quomodo per illas dominium

um

um domus acquiratur, antequam vero id fiat, in genere de Testamentis quaestionem praemitto, scilicet, *an Testamentum in domo privata condi queat?* Olim quidem testamentum condebatur vel in procinctu, vel in Comitii Calatis, ita ut non nisi his duobus modis testamentum conficere liceret. §. 1. *J. de Testam. ordin.* Tempore pacis enim Praeco bis in anno universam civitatem circumibat, ac populum convocabat, in cujus praesentia aliquis testaturus ultimam voluntatem scribere solebat. *Stryck. in Pracogn. Jur. c. I. §. 17.* Postea tamen cum eveniret, ut multi decederent intestati ob denegatam facultatem testandi extra Comitii, tertius testandi modus additus, scilicet per aë & libram, & familiae emancipationem seu imaginariam venditionem. Denique & hic modus exolevit, & privata testamenti factio coram septem testibus est concessa. §. 2. 3. *J. de Testam. ordin.* cui varii testandi modi accesserunt, quos ipse Imperator recenset. *loc. cit.* Hodie indubitari juris est, testamentum in domu privata condi posse, quocunque modo etiam illud conficiatur, & frequentius hoc fieri dicit *Mevius ad Jus Lub. Lib. II. Tit. I. Art. 2. n. 84.* Magis tamen videtur dubium, *an testamentum Judiciale seu ad acta conditum in domu perfici possit?* Et puto dicendum quod sic, per ea quae tradunt *Struv. in S. J. C. Ex. XXXII. th. 9. Habn ad Wesenb. tit. qui testam. fac. poss. num. 10. ad verb. sed etiam quod Domi Carpz. P. III. C. 3. D. 16. 17. Berlich, P. II. c. 4. Pr. LX. Lib. V. Tit. 1. Art. 4. §. 2.* Requirit tamen Jus Pruten. ad ejusmodi testamentum quatuor aut ad minimum trium Scabini- norum & Notarii praesentiam. Praeterea hic etiam *Qu. an, si testamentum tempore pestis conditum valere debeat, requiratur, ut domus testantis infecta sit, an vero sufficiat, si tantum*

in urbe pestis grassetur? Prius affirmant Finckelthaus. *Obs. 7. Carpzov. P. III. C. 4. D. 4. Habn ad Wesenb. tit. Qui test. fac. poss. n. 10. verb. tempore pestis. Lauterbach. in Compend. Jur. Tit. de Testam. milit. p. 503. Posterius affirmant Berlich. P. III. C. 5. Stryck ad Lauterbach. l. c. ad verb. in Provincia. Brunemann. ad L. 8. C. de Testam. Struw. S. J. C. Exerc. XXXII. th. 21. Schilter ad ff. Exercit. XXXVIII. §. 140. Ripa in Tract. de Peste c. 2. Jus Pruten. priorem amplectitur sententiam, verbis: Als in sterbenden Läuſſten / wenn einer an der Pestilenz lieget / oder in dessen Behausung solche Seuche registret. *Pr. Landr. Lib. V. Tit. I. Art. V. §. 1.**

§. VI. Ultima voluntate acquiritur domus non tantum per modum aliquem universalem, quando heres scriptus totam hereditatem, & in ea quoque repertam domum consequitur, §. 6. J. *per quas person. L. 62. ff. de R. J.* sed etiam per singularem, scilicet *Legatum*. Distingvendum vero hic in domu legata, utrum legata sit domus ad habitandum, an vero habitatio seu jus habitandi, aut facultas seu commoditas habitandi. Si Domus ad habitandum legata, tunc plena proprietas intelligitur legata. Si habitatio est legata, tunc legata censetur servitus seu jus habitandi. Si facultas habitandi legata, tunc tantum usus domus legatus esse censetur. *Brunnemann. ad L. 13. C. de Usufruct. & Habit. Mantica de Conject. Ult. Volunt. Lib. IX. Tit. 4. n. 8.* Deinde differunt domus simpliciter legata, domus cum instrumento, & domus instructa. Si domus simpliciter legata, neque instrumenta ejus, neque supellex aliter cedit legato, quam si id ipsum à testatore nominatim fuerit expressum. *L. 14. ff. de Supell. leg.* Si domus cum instrumento, Germ. mit dem Inventario, legata, debentur tantum instrumen-

ra domus, non quae sunt Patrisfam. L. 12. §. 16. ff. de instruct.
 vel instrum. leg. Si vero domus instructa fuerit legata, Ger-
 man. ein Haus mit aller und jeder seiner Zubehörung/
 wie es stehet und lieget / sive ein Haus mit seiner völli-
 gen Einrichtung / tunc omnia debentur, quae paterfam.
 in ea habuit L. 12. §. 27. ff. eod. & sub domu instructa legata
 continetur domus cum instrumento. *Mantica de Conject.*
Ult. Volum. Lib. IX. Tit. 2. n. 44. Conf. L. 41. ff. de Leg. 1. L.
31. L. 91. §. 4. 5. 6. ff. de Leg. 3. Besold. Thes. Pract. sub voce
Haus philipp. Us. Pract. Inst. Lib. II. Ecl. 86. Berlich. P. II.
Dec. 191. Menoch. de Praesumpt. Lib. IV. Praes. 129. & 154.

§. VII. Legatur vero domus vel testatoris propria,
 vel aliena seu tertii, vel etiam ipsius Legatarii propria.
 Si domus testatoris propria vel heredis legetur, subsistit
 Legatum §. 4. J. de Legat. & heres eam Legatario praestare
 debet, nam Legatum est donatio quaedam à defuncto re-
 licta, ab herede praestanda §. 7. J. eod. & si pure legata statim
 à morte testatoris ipso Jure Legatarius fit Dominus *Lib.*
80. ff. de Leg. 2. L. 64. ff. de furt. Sutholt. ad J. Dissert. X. aphor.
74. Hahn. ad Wesf. tit. de Leg. 1. n. 8. Si domus legata sit ter-
 tii cujusdam, & testator hoc sciverit, tunc heres cogitur
 eam redimere & praestare, vel si eam non possit redime-
 re, assimationem ejus dare §. 4. J. de Leg. L. 30. §. f. ff. de
 Leg. 3. L. 14. §. 2. ff. eod. Secus si ignoraverit: forsitan enim
 si scivisset domum esse alienam, non legasset testator, sunt
 enim magis in legandis suis rebus, quam in alienis com-
 parandis & onerandis heredibus faciliores voluntates. L.
 67. §. 8. ff. de Leg. 2. conf. *Mantic. all. Tr. Lib. IX. Tit. 10. ubi*
pluribus hoc pertractat. Si domus legata jam sit Legatarii
 eo tempore quo legabatur, tunc inutile est legatum, &
 neque

neque domus, neque æstimatio debetur §. 10. J. de Leg. Neque conualescit Legatum, si domus vivo testatore fuerit alienata, quod etiam ab initio non valet, ex post facto conualescere non potest L. 41. §. 2. ff. de Leg. 1. junct. i. r. de Reg. Caton. Nisi sub hac expressa conditione, si domus legatarii esse desierit, legata all. L. 41. Sed quid si domus eo tempore quo legata fuit, tertii esset, postea autem legatarii facta, an tunc valet legatum? & Resp. distinguendo inter causam lucrativam & onerosam: Si ex causa lucrativa domus legata ad legatarium pervenit, tunc non debetur legatum, quia duæ causæ lucrativæ in eundem hominem, & in eandem rem concurrere non possunt. §. 6. J. de Leg. L. 17. L. 19. ff. de O. & A. Si vero ex causa onerosa dominium consecutus, pretium quod dedit, petere potest Legatarius §. 6. J. d. t. L. 45. pr. L. 84. §. 5. ff. de Leg. 1.

§. VIII. Dicta hæc procedunt tunc, si constat de voluntate Testatoris ex certa descriptione & signis, de qua domus fenerit, si v. g. legaverit domum, quam inhabitavit: Sed quid si in genere domus legata, quæ tunc debetur? Resp. distinguendum an defunctus possideat domum, an vero non: Hoc casu, si domum non possideat testator, & tamen leget domum, tunc legatum magis est derisorium, quam utile per L. 71. pr. ff. de Leg. 1. Illo casu cogentur heredes, quam volet Legatarius, domum ex his, quas testator habuit, Legatario dare all. L. 71. Semper tamen hoc in casu ad Legatarii conditionem est respiciendum: Sic si legatarius sit rusticus, testator vero Nobilis, & hic parvas & amplas domus relinquat, tunc non ampla & magnifica, sed conditioni Legatarii par domus debetur. Quando itaque constat quæ debeatur domus, tunc heres eam præstare debet cum omnibus accessionibus. §. 19. J. de Leg.

L. 44. §. 4. ff. de Leg. 1. L. 76. §. 2 ff. de Leg. 2. L. 1. C. de Usur.
 & fr. leg. Sed quid si domus legata incendio perierit, an
 tunc arca debetur? Resp. vid. in Disp. Wildvogel. De eo quod
 iustum est circa ades exustas c. 2. th. 7. Quid Jus Pruten. de
 domu legata disponat, Vid. Pr. 22. Lib. V. Tit. VIII. Art.
 2. §. 8. 9. & Art. 4. §. 2.

§. IX. Perlostratis modis acquirendi domum, se-
 quitur, ut illa considerentur, quæ ex hoc Dominio fluunt,
 scilicet potestas circa illam disponendi, quæ prout Domi-
 nium est restrictum vel plenum, ita etiam facultas illa est
 restricta vel plena. Exerit se autem potestas disponendi
 vel circa domum ipsam se ipsum ædificium, vel circa alie-
 nationem vel contractus qui intuitu domus celebrantur.
 De his partim in §. IV. hujus Capituli dictum, partim etiam
 adhuc occasio dicendi erit in Capite sequenti. Circa ipsum
 ædificium tanta nobis competit facultas disponendi, quan-
 tam ille, qui dominium transtulit, ipse habuit, nemo enim
 plus Juris in alium transferre potest, quam ipse habuit L. 54.
 ff. de R. J. Sic onera realia cum domu ad quosvis posses-
 sores transeunt; hinc si domus fuerit serviens vel oppi-
 gnorata, servitus & pignus in ea manet, licet ad alium Do-
 minium domu pervenerit. L. 23. §. 2. ff. de S. R. P. L. 18. §.
 2. ff. de pign. Act. Mey. P. III. D. 34. & P. VIII. D. 275. In-
 primis circa refectionem & ædificationem domus cuilibet
 videndum, quantum ipsi Juris comperat, ne Publicum &
 jus vicini lædatur. Sic si domus ruinam & damnum ali-
 quod minetur, Dominus à Magistratu compelli potest,
 ut vel domum reparet, vel novam exstruat. L. 7. ff. de Off.
 Pref. L. 8. C. de ædif. privat. ne urbs ruinis deformatur L. 2.
 §. 17. ff. ne quid in loco publ. cum ad decus urbium pertineat,
 ædificia

ædificia non derelinqui *L. 20. §. 10. ff. de nov. oper. nunc.* Imo civium & vicinorum interfit, domus ruinosas reparari, ne vicinis vel transeuntibus damnum sit metuendum; hinc etiam Prætor ad hoc damnum avertendum remedium dedit, scil. de damno infecto *l. 1. ff. de damn. infect.* Si domus plane collapsa sit, cogi potest Dominus, ut novas extruat ædes *L. 7. ff. de Off. Præs. L. 46. ff. de Damn. infect. L. 8. C. de adif. priv.* Si Dominus nolit reficere ædes, potest id facere Resp. suis sumptibus, & si ad certum tempus pecuniam restituere nolit, Jure eam Resp. distrahit *L. 46. ff. de damn. infect. L. ult. C. de Jur. Reip.* Imo Vespasianus vacuas areas occupare, & ædificare, si possessores cessarent, cuicumque permisit, referente *Sueton. in Vita ejus c. 8.* Sed quid si Dominus tantum in bonis non habeat, ut ædes reficere possit? Resp. potest cogi ad Domum alteri vendendum qui possit reficere; vel à Rep. tantum pecuniæ petere potest, quantum sufficit ad reparationem domus. *Perez ad C. tit. de Jur. Reip. n. 15. 16. Cæpoll. de Serv. Urb. Præd. c. 19. n. 34. Stryck. in Disp. de Salut. publ. c. 4. n. 21. Sprenger. de Jure ædificii cap. 7.*

§. X. Quando autem de novo extruit domum, ante omnia veterem formam & modum ædificandi observabit. *L. 12. §. 1. C. de adif. privat.* Nam si quid contra pristinam domus formam ædificet vel detrahat, opus novum facere dicitur, quod novi operis Nunciatione prohiberi potest. *L. 1. §. 11 ff. de nov. oper. nunc. Hilliger. ad Donell. Lib. 15. c. 45. lit. E. Pr. P. R. Lib. III. Tit. II. Art. 2. §. 3.* Et hæc nunciatio in primis triplici ex causa instituitur; (1) Si publico noceat, (2) si in vicini re quid fiat, (3) Si contra servitutem debitam quid fiat. Hæc novi operis nunciatio quomodo

quomodo sit instituenda, docet *Struve in S. J. C. Exerc. XXXIX. tb. 2.* Alias obtinet illa regula, quod quilibet in suo fundo pro lubitu ædificare possit. *L. 24. ff. de S. U. P. L. 8. L. 9. C. de Servit.* quam DD. ampliant (1) ut procedat, etiamsi quis longissimo tempore in suo non ædificasset, v. g. si quis per mille millia annorum, uti loquitur *Accursius ad L. 11. ff. de S. U. P.* domum depressam habuerit, vel fenestras in suo pariete non habuerit, tamen nondum hæc facultas altius tollendi, vel fenestram aperiendi præscripta est. *Carpz. P. II. C. 4. D. 13. & C. 14. D. 12.* (2) etiamsi alteri in nostro ædificando noceamus, qui enim jure suo utitur, nemini facit injuriam *L. 9. ff. de S. U. P. L. 24. §. f. L. 26. ff. de damn. infect.* *Pr. LX. Lib. III. Tit. II. Art. 2. §. 2.* Quæ regula tamen etiam varie à Dd. limitatur, & quidem (1) si in nostro ædificando publicis locis incommodum afferatur, nam tunc dirui ac prosterni ædificium præcipitur in *L. 14. C. de oper. publ.* (2) Si lege aut statuto certa forma sit præscripta, vel consuetudine contrarium introductum *L. 11. pr. ff. de S. U. P. L. 6. C. de Serv. & aqu.* (3) Si alteri plane auferatur id, cujus usum ipsa natura voluit esse communem & sine quo alteri ædificium omnino inutile sit: Sic v. g. obscurare quidem possum ædes alienas ædificando in meo fundo, non tamen penitus lumen auferre. (4) Si ædificando in nostro in alienum quid immittatur *L. 8. §. 5. L. 14. L. 17. pr. ff. Si servit. vindic. L. 24. §. f. L. 25. ff. de damn. infect.* (5) Si quis non ad utilitatem, sed ad æmulationem ædificet. *L. 2. ff. de Oper. publ. Nov. 63. c. 1. Stryckin Disp. de Jure Emulationis.* (6) Si servitus sit constituta *L. 15. ff. de S. U. P. L. 9. C. de Serv. Carpzov. P. II. C. 41. D. 11. Harim. Pistor. Obs. 215.* Quapropter semper in ædificando respiciendum ad sta-

C

con-

consuetudines, utilitatem publicam, & Jus tertio compe-
tens. De modo ædificandi apud Romanos vid. *tot. tit. C. de ædific. privat. Nov. 63. pr. Perez. ad C. d. t. Sprenger de Jure ædificii c. 6.*

§. XI. Dicitur sæpius in præced. §. de servitutibus, hinc etiam pauca de nonnullis servitutibus erunt subjun-
genda, quæ præcipue circa modum ædificandi occupantur, quo pertinent servitus altius tollendi, servitus altius non tollendi, servitus oneris ferendi, servitus luminum, servitus ne luminibus officiat. *Servitus altius tollendi* est jus, quo vicinus pati tenetur, ut ego domum meam altius tollam, ille vero nec contra ædificando, nec alio modo impedire possit: Locum habet hæc, servitus tunc, quando statuto certa altitudo præscripta, ultra quam vicino invito domum meam tollere non possum; v. g. Si statutum adfit, quod prohibet domum invito vicino ultra 50. pedes tollere, vicinus vero consentiat, ut ad 60. pedes liceat attollere domum, tunc constituta mihi est servitus altius tollendi. Aliter hanc servitutem explicant, *Bartol. Bartol. Carpzov. P. II. C. 41. D. 13.* & alii, dicentes servitutem altius tollendi esse jus, quo ego cogere possum vicinum ut altius tollat. De hac diversitate opinionum ita ait *Hahn. ad Wes. tit. de S. V. P. n. 3.* *Utraque interpretatio apud Doctores veteres imprimis reperitur, atque sustineri potest, quamvis prima communis sit, & textui in §. 2. J. de Action. magis conveniens.* Mihi prima videtur probabilior & magis approbanda ob *all. §. 2. J. & L. 15. §. 1. ff. de servit.* quam etiam amplectitur *Dr. Stryck in Comment. ad §. 2. J. de S. U. & R. P. Lauterbach. in Coll. Th. Pract. tit. de S. V. P. §. 5. Struve in S. J. C. Exerc. XIII. tb. 11. Schifter. ad ff. Exerc.*
XVIII.

XVIII. §. 8. *Servitus altius non tollendi est jus, quo vicinus domum suam altius tollere impeditur, L. 32. ff. de S. U. P. quamvis enim ex libertate naturali quilibet in suo fundo in infinitum, & ut Dd. loquuntur ad coelum usque tollere queat, Vid. Stryck in Disp. de Jure Emulat. c. 2. n. 45. L. 14. L. 24. ff. de S. U. P. L. 8. L. 9. C. de servit. tamen hæc libertas per servitutem tolli potest. Mev. ad Jus Lubec. lib. III. Tit. XII. art. 7. Servitus oneris ferendi est, qua vicini paries vel columna onus ædium nostrarum sustinere debet, L. 33. ff. de S. U. P. L. 6. §. 2. ff. Si serv. vind. In hac servitute refectio parietis vel columnæ ad Dominum domus servientis pertinet dict. LL. alter autem cujus domui servitus debetur, domum fulcire debet interea, dum paries vel columna reficitur. L. 8. pr. ff. si servit. vind. Si tamen Dominus parietem vel columnam reficere nolit, poterit eam derelinquere, cum non homo sed res debeat servitutem L. 6. §. 2. ff. ead. Hinc regula nata est, quod onera realia derelictione rei possint evitari. Si vero Dominus domus dominantis nolit fulcire onus, deponat, & restituat illud cum paries fuerit restitutus L. 8. pr. ff. ead. quod Jcti consilium ad evitandam fulturam *Ironicum* appellat, *Capolla de S. U. P. c. 27. n. 6.* Vocatur hæc servitus à nonnullis anomala, ideo quia dominus parietem servientem reficere tenetur; contra L. 15. §. f. ff. de Servit. Verum non videtur hic quicquam anomalia subesse, cum refectio parietis non ad servitutem constituendam, sed ad servitutem constitutam conservandam faciat, h. e. facit, aliquid, ut pati possit, paries enim æternus esse nequit, & propterea indiget refectioe, ut eo melius servitus constituta in ea retineri queat: Et certe si is, cui debetur servitus, refice-*

impõn

C 2

ret,

ret, magis serviret, quam serviens, huic enim paries esset integer sumptibus alienis. *Frankke ad §. 2. J. de S. U. & R. P. Servitus luminum* est jus immittendi lumina vel fenestras in parietem alienum L. 4. ff. de S. U. P. Notanter dicitur in parietem alienum, in meo enim pariete pro lubitu fenestras aperire possum. arg. L. 8. §. 5. ff. si servit. vind. Lib. 12. §. 2. C. de adif. privat. potest tamen alter in suo contra aedificare, & aedificio novo obscurare lumina, prospectumque in aream suam aut hortum impedire, sed si habeam constitutam servitutem ne luminibus officiat, tunc lumen & fenestras, qua licet in alterius fundum inspicere impedire non poterit L. 4. ff. de S. U. P. haec enim natura est servitutis ne luminibus officiat, ut mihi liceat fenestram habere in meo pariete, quam tamen vicinus contra aedificando in suo obscurare nequit *Carpz. P. II. C. 41. D. 12. Brunneman. ad L. 9. ff. de S. U. P. Habm. ad Wesenb. tit. de S. U. P. n. 4. Philippi Us. Pract. Inst. Lib. II. Ecl. 23. Capolla de S. U. P. t. 26. Stryck in Disp. de Jure Emulat. c. 2. n. 49. Pr. D. N. Lib. III. Tit. 2. Arr. 2.*

§. XII. Inter Personales servitutes primum locum obtinet *Ususfructus*. Disquiritur itaque *Quantum Juris competat illi, qui ususfructum domus habet?* Resp. is, qui ususfructum domus habet, domum possidet naturaliter, Jus autem civiliter L. 12. L. 49. ff. de A. vel A. P. & hinc dicitur quasi Dominus in L. 22. ff. de aq. & aq. pluv. omnes reditus & pensiones ex aedibus percipit L. 7. ff. de Usuf. utitur & fruitur illa tam ad utilitatem & commoditatem, quam necessitatem & indigentiam, secundum rei usufructuaria qualitatem; & boni viri arbitrato L. 9. pr. L. 13. §. 4. ff. de Usufr. habet omnia adminicula sine quibus Usufr. percipi nequit

nequit L. 1. §. 1. ff. Si usufructus petat. potest alteri domum
 locare L. 13. §. 8. L. 27. §. 1. ff. de Usufr. L. 9. §. 1. ff. locat. pro-
 hibere potest, ne Dominus Domum altius tollat L. 7. §.
 1. ff. de Usufr. & omnia illa, quibus usufructus impediri
 potest L. 15. §. 6. ff. eod. Struv. S. J. C. Exerc. XII. th. 15.
 Carpz. P. II. C. 47. D. 9. n. 4. Berlich. P. II. C. 32. n. 12. Philip-
 pi Us. Pr. Instit. Lib. II. Ecl. 29. Uti autem usufructuarius
 commoda ex Usufructu percipit, ita etiam incommoda
 & onera quadam eum manent, non enim ferendus est,
 qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum
 contemnit, L. un. §. pro secundo in fin. C. de caduc. toll. Hinc
 usufructuarius Domum sartam tectam servare, modicis
 sumptibus eam reficere & alia onera agnoscere debet. L. 7.
 §. 2. ff. de Usufr. culpam levem praestat, & omne id quod di-
 ligens Paterfamilias in sua domu facit, & hic facit. L. 65. pr.
 L. 9. §. 2. ff. de Usufr. L. 1. §. 3. ff. Usufr. quemadm. cau. Colle-
 ctas tributa, ordinaria & extraordinaria v. g. ob transitum
 exercitus, inhospitaliones &c. solvit L. 28. ff. de usu & Ufr.
 & redit. L. 7. ff. de publ. & vectig. L. 27. §. 3. ff. de Usufr. L. 2.
 C. de armon. & Tribut. Hahn. ad Wes. tit. de Usufr. n. 5. Mey.
 P. VIII. D. 260. n. 5. Carpzov. P. I. C. 32. D. 50. n. 6. & P. III.
 C. 31. D. 9. n. 6. Hartm. Pistor. P. I. Qu. 46. n. 33. Schilter. ad
 ff. Exerc. XVII. Pr. LR. Lib. III Tit. III. Art. I. §. 7.

§. XIII. Ab Usufructu ad Usam progredior. Quan-
 do usus domus concessus Usuarius cum tota familia illa uti
 potest L. 2. §. 1. ff. de Us. & habit. licet familia utentis tam
 ampla sit, ut totam domum occupet, & proprietarium
 excludat. L. 15. pr. ff. de Us. & habit. Si viduae usus domus
 fuerit legatus, si postea nubat, una cum viro habitat. L. 4.
 §. 1. ff. eod. potest Usuarius recipere hospites & inquilini-
 nos,

nos, five gratis, five pro certa mercede, L. 3. L. 4. pr. ff. d. l. modo ipse simul inhabitet L. 8. ff. eod. & modo honeste cum iis vivere possit, quod in primis ad mulieres refert Pomponius in L. 7. ff. de Us. & habit. Licet vero usuarii familia tam ampla non sit, ut totam domum occupare possit, non tamen proprietarius parte vacanti uti potest. L. 22. §. 1. ff. eod. Non vero vendere & locare Usum ædium potest L. 4. ff. eod. neque ullo modo Jus Utendi in alium transferre L. pr. L. 8. pr. L. 11. ff. de Us. & habit. Sed Usuarius ipse ea uti debet, cum intuitu ejus Usus sit relictus, qui pro diversitate personarum est diversus, alius enim alio plus indiget L. 12. ff. de Us. & habit. Onera quoque subit Usuarius, nempe domum sartam rectam servat, tributa, & vectigalia illarum nomine solvit L. 18. ff. eod. ibique Brunnem. Struv. in S. J. C. Exerc. XII. tb. 55. Pérez ad C. tit. de Usufruct. & habit. n. 35. Capolla de S. U. P. c. 5. n. 5. Non multum ab Usu differt *Habitatio*, tertia servitutis personalis species, quæ est jus inhabitandi ædes alienas, & omne commodum ex illarum habitatione percipiendi, in effectu idem fere est quod Usus ædium L. 10. ff. de Us. & Habit. nisi quod *Habitatio* seorsim locari queat. L. 13. C. de Usufr. Stryck, ad §. 5. J. de Us. & Habit. Brunm. ad L. 13. C. de Usufr. Mantica de Conject. Ult. vol. Lib. IX. Tit. V. n. 8. Capoll. d. tr. c. 6. Pr. LX. Lib. III. Tit. III. Art. 2.

§. XIV. Circa *Pignus* tanquam speciem Juris in re, disquirendum venit, si domus in qua pignus constitutum, exusta vel destructa sit, num in area subsista pignus? & R. quod sic per L. 16. §. 2. ff. de pign. & hypoth. Idem erit si in area oppignorata domus exstruatur, tunc enim & domus exstruata oppignorata censetur per all. L. 16. Pr. LX. Lib.

IV. Tit. V. Art. III. §. 4. Singulare quid circa domum ratione pignoris obtinet, scilicet quod ob mutuo datam pecuniam ad domum resciciendam creditori in domu refecta tacitum pignus constituatur, licet in contrahendo mutuo nulla pignoris vel hypothecæ mentio facta fuerit, ita, ut creditoribus anteriorem hypothecam habentibus præferatur L. I. in quibus causis pign. L. 5. ff. qui pot. in pign. Nov. 97. c. 3. Hujus enim pecunia salvam fecit totius pignoris causam L. 6. ff. qui pot. in pign. Carpzov. P. I. C. 28. D. 105. 106. & Decif. 56. n. 1. Berlich. P. I. C. 65. n. 132. Mev. P. V. D. 84. Hoc autem non obtinet, si pecunia ad emtionem domus fuerit mutuo data, hoc enim casu expresse Hypotheca est constituenda. L. 17. C. de pign. & hyp. L. 7. C. qui pot. in pign. Nov. 136. c. 3. Struve S. J. C. Exerc. XXVI. th. 14. Carpzov. l. c. Def. 107. Hartm. Pistor. P. III. Qu. 15. Pr. Et. Lib. I. Tit. 49. §. 7. Lib. IV. Tit. V. Art. 7. §. 3. & Tit. VI. Art. 6. §. 3.

CAP. III.

DE JURE DOMVVM

CIRCA
JUS AD REM.

§. I.

HActenus de Jure Domuum in Re, sequitur jam Jus ad Rem, quod oritur ex obligatione personæ, quæ nobis obstricta est ad aliquid dandum vel faciendum L. 3. pr. ff. de O. & A. Descendit hæc Obligatio vel ex Contractu vel quasi, vel ex delicto vel quasi, Hic tantum obligatio ex Contractu vel quasi erit consideranda.

Contra-

Contractus est vel Innominatus vel Nominatus. Innominatus iterum est vel Regularis vel Irregularis. Regulares sunt quatuor: do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias L. 5. ff. de *prescr. Verb.* Irregulares sunt Contractus æstimatorius & Permutatio. *Franzke ad ff. tit. de æstim. n. 2.* Horum omnium fere eadem est natura & indoles, hinc etiam non opus erit omnes contractus singulariter exponere, sed sufficiet si unum exempli loco adducam, scilicet Permutationem. Si enim v. g. ager pro domo, vel domus pro agro detur, est Contractus Permutationis, qui tamen antea non est perfectus, priusquam res ipsa tradita. L. 1. §. 2. ff. de *Rer. Permut.* cum solo consensu non perficiatur d. L. 1. L. 5. ff. de *Prescr. Verb.* Sed quid si agro adjiciatur pecunia v. g. si ager & 100. thaleri pro domo dentur, anne adhuc erit permutatio? & Resp. si de mente contrahentium constet, illa est sequenda, si autem de hac non constet, tunc si pecunia rei prævaleat est emptio, si vero res pecuniæ, erit Permutatio. *Brunnem. ad L. 1. ff. de Rer. permut. n. 2. Schneid. ad §. 2. 7. de Emt. Perez ad C. tit. de Permut. n. 6. Mantica de Tac. & ambig. Convent. Lib. XXV. Tit. 2.* Hoc in Contractibus innominatis singulare est, quod in illis locus pœnitentiæ sit L. 1. in f. ff. de *Rer. permut.* etiam si unus jam impleverit Contractum: *conf. all. Disp. Excell. Dn. Præsidis, de Jure Pœnitentiæ c. 2. §. 16. 17.* Jus Pruten. in omnibus contractibus innominatis concedit facultatem pœnitendi *Pr. XX. Lib. IV. Tit. XVI. act. 1. §. 1. 2.* & in specie in permutatione *l. c. art. 2. §. 3.* ubi in nostro casu, si domus sit permutata, Insinuationem Judicalem requirit. *l. c. §. 2.*

§. II. Contractus Nominati Veri, sunt vel Reales, vel Verbales, vel Literales, vel Consensuales §. f. de

*Obl. Reales sunt quatuor: Mutuum, Commodatum, Depos-
 positum, Pignus. t. 1. f. quib. mod. re contr. obl. Circa Mu-
 tuum Qu. an Domus mutuo dari possit? Resp. quod non: (1)
 quia domus non est res fungibilis L. 2. §. 1. ff. de reb. cred.
 (2) quia domus non constat pondere, numero & men-
 sura. pr. f. quib. mod. re contr. obl. Struv. S. J. C. Exerc. XVI.
 th. 14. Habn. ad Wesf. tit. de Rob. Cred. n. 11. bene tamen ligna
 ad exstruendam domum mutuo dari queunt. Lauterbach.
 in Coll. th. Pr. tit. de R. C. §. 24. item pecunia ad emendam
 vel exstruendam domum, est enim pecunia res fungibilis
 §. 1. f. quib. mod. re contr. obl. Sed hic porro Qu. an domus
 commodari possit? Resp. quod sic L. 1. §. 1. ff. Commod. Nam
 non solum alicui domum ad certum usum L. 5. §. 8. L. 17.
 §. 2. ff. Commod. commodare possum, v. g. ad celebrandas
 nuptias in ea, sed etiam ad inhabitandum L. 1. §. 1. ff. Com-
 mod. Pr. LX. Lib. IV. Tit. III. Art. 1. §. 2. ubi tamen pre-
 tium pro usu intervenire non debet, cum commodatum
 natura sua sit gratuitum §. 2. f. d. t. Mantica de tacit. & am-
 big. Convent. Lib. 9. Tit. I. n. 5. In hoc contractu omnia fe-
 re illa observanda sunt, quæ in domu locata usu veniunt,
 nisi quod mercedis mentio non fiat. Struyck C. C. Sect. II.
 c. 2. §. 2. Hinc uti locator conductorem ante tempus expelle-
 re non potest L. 3. C. de Locat. ita quoque commodans usum
 domus commodata revocare non potest ante finitum usum,
 nisi ex nova aliqua emergenti causa ipse commodans ea o-
 pus habeat, quæ tacita conditio semper subesse censetur.
 Habn. ad Wesf. tit. Commod. n. 11. Perez. ad C. tit. Commod. n. 16.
 Mantica l. c. n. 8. Præterea circa Contractus Reales Qu. an do-
 mus deponi queat? Affirmant Lauterb. in Coll. Th. Pr. tit. depositi
 §. 10. Ludwel. ad §. 3. f. quib. mod. re. Habn. l. c. n. 4. Harprecht.*

1109

D

ad

ad §. 3. *J. quib. mod. re n. 17. seq. Franzke ad ff. tit. Depos. n. 6.*
 Negant vero ob L. 5. §. 4. ff. de Praeser. Verb. *Stryck. Hopp.*
Schneider. ad §. 7. J. quib. mod. re. Struv. in S. J. C. Exerc.
XXI. th. 35. Perez ad C. tit. de Depos. n. 3. Milu negantium
 opinio probabilior videtur & amplectenda. Ultimo de
 pignore *Qu. an domus oppignorari queat? & Resp. quod sic*
 §. 7. *J. de Act. L. 9. §. 1. ff. de pignor. & Hypoth. Perez ad C. tit.*
de pign. & Hyp. n. 3. Pr. XX. Lib. IV. Tit. V. Art. 3. §. 4.

§. III. Inter Contractus Consensuales primo se of-
 fert Contractus Emptionis venditionis, ubi videndum, qua-
 renus liceat emere vel vendere domum. Emere ven-
 dere domum possunt, qui consentire & contrahendo se
 obligare possunt, nec in specie ab hoc contractu arcentur.
Vid. Struv. in S. J. C. Exerc. XXIII. th. 3. & 4. Qu. autem
an Forensis seu extraneus domum emere possit? Resp. Lauter-
bach. in Coll. Th. Pr. tit. de contrab. Emp. §. 13. quod non ob
L. 1. C. non lic. habit. Metrocom. Vid. Mew. ad J. L. L. 1. Tit. 2.
art. 5. ubi dicit, statuta quæ forensibus facultatem emendi
adimunt, magnis civitatibus admodum familiaria esse, non
tantum in Germania de qua testatur Gail. L. II. O. 19. n. 3.
sed & in aliis Imperiis, sicuti in multis Italiae & Galliae lo-
cis ejusmodi vigere refert, Bodin. de Rep. Lib. I. c. 6. De
Francofurtana urbe Vid. Sprenger. de Jure edificii c. 5. de Ju-
deis) an illi domum comparare possint, Vid. Ziegler. in
Disp. de Juribus Judeorum c. 4. §. 20. Notanter supra di-
ctum est, quod illi emere & vendere queant, qui con-
sentire possunt, est enim Emptio Venditio contractus con-
sensualis, qui solo consensu perficitur. L. 1. §. 2. L. 2. §. 1.
L. 9. ff. de Contrab. Empt. L. I. §. 2. ff. de rev. permut. L. 55.
ff. de O. & A. ad quem incundum regulariter nemo cogi
 potest,

potest. L. 16. C. de Jur. deliber. L. 11. L. 13. C. de Contr. Empt. L. 70 ff. de R. J. L. 9. ff. de Act. Rer. Amor. Excipiuntur tamen casus, ubi quis ad ineundum hunc Contractum cogi potest, (1) si utilitas vel necessitas publica id efflagitet, tunc Princeps ad vendendum cogere potest: v. g. si domus sit necessaria ad Regis Palatium, ad extruendam vel amplificandam Ecclesiam, ad extruenda propugnacula, in primis tempore belli, etiam nullo soluto pretio domus dirui ac prosterni poterit, si sit vicina moenibus, vel in suburbii sita, & incendium inde reformidetur, vel quod hostes eo se recipiant L. 6. L. 9. L. 14. C. de Oper. publ. item si plateæ nimis angustentur, tunc ad ampliandas plateas domum dirui posse dicitur in all. L. 14. C. de Oper. publ. Perez. ad C. tit. de Oper. publ. Struv. S. J. C. Exerc. XXIII. th. 7. Seryck in Disp. de Salut. Publica c. 2. n. 43. Habn. ad Wesf. tit. de Contrab. Empt. n. 5. Klok de Contribut. C. 9. n. 73. Klein in Disp. de Invito c. 3. n. 8. Schneiderv. ad §. f. J. de Empt. Carpzov. Lib. I. Resp. 42. n. 15. Tholosan. in S. J. U. Lib. 36. c. 30. n. 4. & 10. Schultz in Disp. de Venditione necessar. c. 2. n. 12. (2) Si quis à testatore vendere iustus L. 49. §. 8. & 9. L. 60 ff. de Leg. 1. (3) Si quis nolit domum reficere. L. ult. C. de J. Reip. Vid. supra Cap. II. §. 9. Brunnem. ad L. 11. C. de cont. Empt. Klein all. Disp. c. 2. n. 198. Uti autem quis aliquando ad vendendum cogitur, ita e contrario Venditio aliquando prohibetur: Sic prohibita venditio domus ad demoliendum, ita ut neque domum destruere, aut marmora aut columnas ex ipsis ædificiis negotiandi causa detrahere liceat. L. 52. ff. de contr. Empt. L. f. ff. de Damn. infect. L. 2. C. de ædif. priv. Brunnem. ad all. L. 2. C. n. 18. Perez ad C. tit. de ædif. privat. Struve in Disp. de ædif. privat. th. 59.

S. IV. Contractu perfecto emptor ad pretium solvendum, venditor ad domum tradendam tenetur. *Quid vero, si domus tota vel aliqua ejus pars ante traditionem incendio fuerit consumpta, cujus tunc erit periculum* R. Emptoris § 3. J. de Empt. Vendit. L. 7. L. 8. L. 11. ff. de peric. & commod. rei vendit. L. 35. §. 4. ff. de contrab. Empt. L. 5. §. 2. ff. de rescind. vendit. L. 1. L. 4. L. 5. C. de peric. & commod. rei vendit. Bachov. ad §. 3. J. de Empt. Vend. Hahn ad Wesf. tit. de peric. & commod. n. 1. Schilter ad ff. Exerc. XXX. §. 103. Dissentit hic Grotius Lib. II. d. J. B. & P. c. 12. th. 15. qui hanc dispositionem commentum Juris Civilis appellat: Responsum ad hanc object. vid. apud Hahn. l. c. & Ziegler. in Not. ad Grot. l. c. Ampliatur hæc dispositio Juris Civilis, ita, ut licet pretium non fuerit solum emptor ad illud solvendum compelli queat, si vero sit solum a venditore emptor repetere non possit. Carpz. P. II. C. 26. D. 20. Richter. Dec. 99. n. 115. Excipiuntur tamen casus ubi periculum ad venditorem pertinet: (1) si ita specialiter conventum ut venditor periculum in se susciperet §. 3. J. de Empt. L. 1. pr. ff. de peric. & commod. (2) si dolus vel culpa casum præcesserit §. 3. J. eod. (3) si venditor in mora tradendi fuerit L. 17. ff. de peric. & commod. L. 5. ff. de R. C. (4) si venditio fuerit alternativa, v. g. vendo tibi hanc vel illam domum, tunc licet una comburatur, altera tam præstanda; Sed si utraque consumpta, pretium tamen debebitur, quia una utique periculum emptoris fuit. L. 34. §. 6. ff. de contrab. Empt. n. 8. Carpzov. l. c. D. 24. 25. Perez ad C. tit. de peric. & commod. rei vendit. Sed quid si domus sub conditione vendita, illa autem pendente conditione igne consumatur, cujus tunc erit periculum existente conditione? R. Jctus in L. 8. pr. ff. de peric. & commod. rei vend.

vend. Si domus tota est combusta pendente conditione, periculum est venditoris, si vero pars ejus deterior facta, tunc periculum Emptoris. Ratio diversitatis à Dd. hæc traditur, quia in Venditione conditionali quoad deteriorationem rei seu damnum particulare conditio retrotrahitur ad tempus contractus, adeoque fictione Juris emptio perinde habetur, ac si ab initio pure contracta fuisset: quæ fictio tamen in totalis rei interitu locum habere nequit, cum perempta re non reperiat fictio, ubi pedem figat. *Godofred. ad L. 8. pr. ff. de peric. & commod. lit. Z. Struue in S. J. C. Exerc. XXIII. th. 100. Perez l. c. n. 6. Harprecht ad §. 3. J. de Empt. Philippi vs. Pr. Inst. Lib. III. Ecl. 74. Richter. D. 83. n. 88. 89.* Hoc omne quod de periculo rei emptæ dictum, illud etiam de commodato & accessione rei emptæ dicendum: Sicut enim periculum post emtionem ad emptorem pertinet, ita etiam omne commodum ad illum pertinebit. §. 3. *J. de Empt. Vendit.* Hinc *Qv. si domus vendita, alteri sit locata, ad quem merces pro locatione pertineat?* & R. pro rata temporis inter Emptorem & Venditorem esse dividendam, & ad tempus venditionis venditori, reliqui vero temporis emptori adjudicandam esse, licet venditori integra merces fuerit soluta. *arg. L. 26. ff. de Usufr. Brunnem. ad L. 6. C. de act. empt. Hilliger. ad Donell. Lib. X. c. 9. lit. B. Harim. Pistor. P. I. Q. 24.* Sed quid *sempitor in domu vendita thesaurum inveniat, cujus ille erit?* R. emptoris. *Perez ad C. tit. de thesaur. n. 9. Christinus Vol. I. Dec. 399. Tholosan. Synt. Jur. Univers. Lib. III. c. 11.*

§. V. Denique ut Emptio Venditio effectum suum consequatur, requiritur, ut venditor fuerit Dominus vendita domus: Si enim hæc non fuerit venditoris propria,

pria, Emptor non fit ejus Dominus, cum Venditor plus Juris in Emptorem transferre non possit, quam ipse habet. L. 54. ff. de R. J. Neque venditor per traditionem liberabitur ab Actione Empti Venditi, sed si postea domus vendita à vero Domino evincatur, emptor habet regressum contra venditorem, & tenetur hic evictionem præstare L. 1. ff. de Evict. L. 60. L. 70. ff. eod. L. 11. §. 2. ff. de Act. Empt. etiamsi Venditor evictionem non promiserit L. 6. C. de Evict. L. 5. de comm. rer. alien. hæc enim naturaliter inest contractui emptionis venditionis L. 11. §. 1. 2. ff. de Act. Empt. Brunnem. ad L. 6. C. de Evict. n. 2. Mantica de Tacit. & ambig. Convent. Lib. IV. Tit. 3. n. 9. & Tit. 24. n. 3. Propretio enim hoc debetur, ut emptor servetur indemnis, & venditor tandiu eo nomine obligetur, donec usucapionum tempora sunt finita, quibus elapsis, securus est uterque contrahens. Mey. ad J. L. Lib. III. Tit. 6. Art. 3. n. 2. Et hinc si domus evicta, tenetur venditor pretium rei, interesse damna & sumptus litis refundere L. 60. L. 70. ff. L. 17. L. 9. C. de Evict. arg. L. 102. ff. de V. O. Habn. ad Wes. tit. de Evict. n. 6. Quæ vero circa evictionem consideranda sunt docet Struv. S. J. C. Ex. XXVII. th. 15. seq. Perez. ad C. tit. de Evict. Unicum tantum hic Q. an si domus vendita à Principe fuerit ablata, Venditor præstare teneatur Evictionem? R. Communiter distinguunt Dd. an Princeps ex plenitudine potestatis auferat domum, an vero via Juris per modum Processus evincat; priori casu dicunt non teneri Venditorem ad evictionem præstandam, quia hæc ablatio casibus fortuitis annumeratur, cum sine facto emptoris accidat, & humana diligentia prævideri non potuerit, jam vero futuri casus evictionis post contractum

etum emptionis non pertinent ad venditorem L. n. pr. ff. de Eviēt. neque etiam Venditori imputandum, quod res emptori sit ablata. *Stryk in Disp. de Principe Evincente c. 1. n. 4.* Posteriori vero casu tenetur præstare Eviētionem *Stryck de C. C. Sect. II. c. 8. §. 40. Berlich P. I. Dec. 159. Brunnem. ad L. n. ff. de Eviēt. Franzke ad ff. tit. de Eviēt. n. 770. Mey. ad J. L. Lib. III. Tit. 6. Art. 4.* Demique notandum quod in Prussia omnis venditio domuum insinuari debeat, & ante insinuationem re integra, & domu nondum tradita à contractu recedere liceat **Pr. LX. Lib. IV. Tit. VI. Art. 7. §. 1.** De pertinentis vendita domus quæ hic addi possent, Vide *Brunnem. ad L. 17. ff. de Act. Empt. Lauterbach. Coll. Th. Pr. tit. de Act. Empt. §. 25. seq. Berlich. P. III. C. 30. Mantica de Tacit. & ambig. Convent. Lib. IV. tit. 15.*

§. VI. Emptioni Venditioni proxima est Locatio Conductio, iisdemque Juris regulis consistit, pr. J. de locat. L. 2. ff. Locat. **Pr. LX. Lib. IV. Tit. VIII. Art. 1. §. 1.** non tamen propterea hi duo contractus confundendi sunt, cum diversi sint, & in multis differant, imprimis in eo, quod in Emptione venditione Dominium transferatur, in locatione Conductione tantum usus vel opera præstetur: plures differentias vid. apud *Sebnoid. ad pr. J. de Locat. Andr. Wegen in Tr. de Locatione Conductione c. 1.* Hujus contractus capacem esse domum patet ex L. 9. L. 28. L. 42. §. 2. L. 45. L. 60. pr. ff. Locat. Jam autem Q: *quidnam Domum conducere possint?* R. Omnes, qui non in specie prohibentur, Prohibentur autem (1) omnes qui nec se aliis, nec alios sibi obligare possunt, vel ob defectum consensus, vel ob incapacitatem obligationis v. g. infans, furiosus &c. (2) à Lege in specie arcentur à conductione milites, cum hi armis non
privatis

privatis negotiis occupentur, ut numeris & signis suis jugiter inharentes remp. à qua aluntur, ob omni bellorum necessitate defendant. L. 31. C. de Locat. L. 35. C. eod. L. 15. C. de re milit. L. 50. ff. Locat. (3) Clerici Nov. 123. c. 6. plures recenset *Wegen. all. Tr. c. 3. n. 39.* Locatur autem domus ad usum honestum, & non prohibitum, sic non licet locare conducere domum ad recipiendas foeminas inhonestas & meretrices L. 8. L. 9. ad L. Jul. de adult. L. 47. ff. de Minor. Nov. 14. c. 1. aleatores arg. L. 1. ff. de aleat. L. Constitutio prohibet C. eod. neque falsariis locanda domus, ut in ea falsa moneta cudatur, hoc enim casu & falsarius, & qui locavit eadem pœna ultimi supplicii puniuntur, cum hic sit delicti complex, qui delinquentibus auxilium & ministerium præbet. *Perez. ad C. tit. de fals. monet. n. 4.* His addunt nonnulli fabros, victores & similes, qui artem suam cum strepitu exercent, quibus non est permissum locare conducere domum juxta domum Doctorum, Professorum, Advocatorum & literatorum, ne ejusmodi strepitus meditationes & studia literatorum impediunt. *Carpz. P. II. C. 37. D. 23. Coll. Jur. Arg. tit. de locat. n. 14. Menoch. A. J. Q. Lib. II. Cent. 3. cas. 27. Coler. Process. Execut. Part. I. c. 5. n. 8. conf. Dn. Stryck de J. S. Diff. 3. c. 2. n. 10.* E contrario tamen quis compelli potest ad locandas domus Studiosis. *Liebenzhal. in Disp. I. de Privileg. Studios. th. 7. Lauterbach. in Coll. Th. Pr. tit. Locat. §. 14.*

§. VII. Forma hujus Contractus consistit in consensu de domu pro certa mercede fruenda L. 1. L. 14. ff. Locat. plerumque tamen tempus adjici solet, quousque conductor frui possit. L. 14. L. 24. §. 2. ff. Locat. L. 4. §. 1. ff. de reb. cred. *Mantic. de Tac. Et Ambig. Genv. Lib. V. Tit. 4. n. 2.* quæ adjectio

adfectio hoc operatur, ut ante tempus finitum locatori
 conductorem non expellere, neque conductori ante il-
 lud emigrare liceat *L. 3. C. de Locat.* Nisi novæ & graves
 causæ emergant, quales sunt à parte Locatoris (1) si intra
 biennium pensio non fuerit soluta, licet hoc in con-
 tractu non fuerit expressum *L. 54. §. 1. L. 56. ff. Locat.*
 (2) si locator ex causa improvisa propriis usibus domum
 necessariam esse probaverit *L. 3. C. de Locat.* (3) Si lo-
 cator velit domum reficere *L. 3. C. eod.* (4) quando con-
 ductor in domu conducta male versatur *L. 3. C. eod.* sive
 abusus ille sit physicus sive moralis v. g. si fures, meretri-
 ces recipiat. *Wegen all. Tr. 6. 12. n. 43. Brumm. ad L. 56. ff. Locat.*
Carpzov. P. II. C. 37. D. 6. Habn ad Wes. tit. Locat. n.
15. Godofred. ad Nov. 14. c. 3. lit. a. à parte Conductoris hæ-
 rent causæ, ob quas ante tempus finitum emigrare ei per-
 missum est, (1) si lumina ædium conductarum à vicino ob-
 scurentur *L. 25. §. 2. ff. Locat.* (2) si domus ruinam minetur
L. 28. L. 33. ff. de damn. infect. (3) si ostia, & fenestras loca-
 tor non restituat vel reficiat *L. 25. §. 2. ff. Locat.* (4) si ho-
 stium vel latronum impetum metuat conductor *L. 13. §. 7.*
L. 34. ff. eod. (5) si domus peste infecta sit *arg. L. 27. §. 1. Locat.*
Ripa de Peste c. 2. n. 23. (6) si domus spectris infestetur
*arg. L. 28. §. 1. ff. eod. Godofred. ad all. 1. & si qua alia justa me-
 ritus causa adsit, licet periculum vere non subsit all. L. 27.*
Struv. in Jpr. R. G. F. Lib. III. tit. 12. app. 1. Wegen loc. Habn
loc. Gail. L. H. O. 23. Franzke ad ff. tit. Locat. n. 122. Christmann
Vol. III. Dec. 11. n. 2. Nr. LX. Lib. IV. Tit. VIII. art. 2. §. 2. seq.

§. VIII. Cum itaque Conductor à locatore expelli
 non possit ante tempus finitum, hinc *Qv. Si intra tempus*
definitum dominium domus locatæ ad alium perveniat, an

E

Successor

*successor ille teneatur implere contractum Antecessoris, an
 vero conductorem ante tempus elapsum expellere possit? R.
 distinguendo inter Successorem universalem & singula-
 rem: Universalis successor, qualis est heres non potest
 expellere Conductorem, sed tenetur contractui à defuncto
 inito stare L. 10. C. de locat. at singularis Successor, qualis
 est emptor, non obligatur ad Contractum ab Autore suo
 inito implendum, quia successor singularis non succedit
 auctori suo in Jure personali, ex quo tamen hoc casu Ven-
 ditor Conductori erat obligatus: Et hic obtinet illud,
Kauff bricht Mieht L. 9. C. L. 25. §. 1. ff. locat. Brunnem.
 ad all. L. 9. Struve S. J. C. Exerc. XXIV. tb. 27. Berlich. P. II.
 C. 45. Habn. ad Wesf. tit. locat. n. 3. Perez ad C. tit. de locat. n.
 15. 16. Philippi Usf. Pr. Inst. III. Ecl. 77. Harprecht ad J. tit.
 de locat. n. 8. Wegend. Tr. c. 12. n. 74. Hilliger ad Donell. lib.
 13. c. 7. lit. H. Mev. P. I. D. 54. Carpzov. P. II. C. 37. D. 4. Man-
 tica de Tacit. & ambig. Convent. lib. V. tit. 10. n. 1. Pr. LX.
 Lib. IV. Tit. 8. Art. 2. §. 3. & 12. Habebit tamen hoc casu
 regressum contra Locatorem Conductor ad id, quod in-
 terest sibi re conducta usque ad finem locationis uti non li-
 cuisse L. 25. §. 1. L. 30. L. 33. ff. locat. Carpzov. l. c. D. 5. E con-
 trario jam de Conductore *Quæ an ille emigrare possit, si ali-
 um Conductorem substituat Locatori?* R. Jctus in L. 6. C.
 de locat. Nemo prohibetur rem quam conduxit, fruendam
 alteri locare, si nihil aliud conventum L. 3. L. 8. L. 24. §. 1.
 ff. locat. modo sublocatio fiat ad eundem usum, æque
 idoneo, iisdem legibus ac conditionibus, sub quibus pri-
 mo Conductori fuerat locata. Mev. P. IV. D. 101. Pr. LX.
 l. c. Art. 2. §. 14. Plura quæ circa locationem domum dici
 poterant vid. apud Andr. Wegen in all. Tr. qui inter alia in
 Cap.*

Cap. VII. n. 56. notat, Patrem ad restitutionem damni non teneri, si per negligentiam Cerevisiariorum ordinariorum, vel eorum qui cerevisiam coqvunt, aut polentam torrefaciunt, *der Mälzer und Bräuer* / & similium mercenariorum, quos alii diligentes patresfam. ad operas istas adhibere solent, incendium in ædibus ipsius exortum fuerit: Rationem addit hanc, quia qui facit, quod alii soliti sunt facere, non dicitur esse in culpa, cum ab hac eum consuetudo excuset: quod ipsum approbat *Car-pzov. P. IV. C. 17. D. 14.* Reliquos Contractus consensuales, Emphyte sin scil. Societatem & Mandatum, quia in illis vix aliquod singulare circa domus reperitur, jubens prætereo.

§. IX. Inter Quasi Contractus, notandum circa negotiorum gestionem, quod quamvis Actio negotiorum gestorum locum non habet, tunc si invito & prohibentis negotia gerantur *L. f. C. de neg. gest.* tamen si quis domum ruinosam vel collapsam reficiat, licet specialiter hoc Dominus prohibeat, non obstante hac prohibitione ædificans agere possit Actione Neg. gestor. *Dn. Stryck in Not. ad S. I. J. de Oblig. qua quas. ex Contr. ad verb. deferentur negotia & in Tr. de C. C. Sect. III. c. 1. §. 2.* Quoties enim adest publica utilitas, quæ pro invito & prohibente impensas facere svadet, toties datur neg. gest. Actio; quia ejusmodi prohibitio, quæ contra publicam utilitatem est, nullius est momenti, & prohibens censetur in effectu non prohibuisse: sicut enim pacta, ita & protestationes & prohibitiones contra publicam utilitatem nihil operantur *L. 38. ff. de pact.* jam vero prohibere domum ruinosam vel collapsam reficere, est contra *L. 1. ff. de sign. junct. L. 2. C. de*

*adis. privat. Gomez. Variar. Resolut. Tom. II. c. 13. n. II. Kleins
in Disp. de Invito c. 2. n. 203.*

CAP. IV.

DE JURE DOMVVVM

CIRCA
PROCESSVM.

§. I.

Processus hoc loco non denotat modum procedendi seu ordinem Judicarium, sed actus ordinem Judicarium constituentes v. g. citationem *Feibig. in Proc. Jur. P. I. c. I. §. 1. Stryck in Disp. de Processu Unilateralis c. I. §. 12.* Ita ut sensus hujus rubri sit, de Jure Domuum, quatenus actus Judiciales in iis institui possunt.

§. II. Omnium autem Actionum instituendarum principium est in Jus Vocatio seu Citatio §. 5. *J. de pen. remer. litig.* Hæc enim basis ac fundamentum omnis Judicii, quæ sine nullitate Processus omitti non potest *L. 4. C. de Sent. & interloc. Hilliger ad Donell. Lib. 23. c. 2. lit. A. Mev. ad J. L. Lib. III. Tit. I. Art. 7. n. I. Gail. L. I. O. 48.* Modus autem vocandi in jus non omni tempore fuit idem. Olim privata autoritate fiebat, dum licebat Actori adversarium obviam habentem in Jus ducere, quem ita alloquebatur: *ambula mecum in Jus*: Si nollet ire vel satisfacere, oborto collo in Jus rapere permittebant Leges XII. tabb. his verbis: *Ni it, antestator: scalvitur, pedemve struit, manuendo jacito.* *Hahn ad Wesf. tit. de in Jus vocand. n. 2.*

Hunc

Hunc in Jus vocandi modum describit *Horatius L.I. Serm. Satyr. 9. in fin.* his verbis:

--- -- Casu venit obvius illi
Adversarius; & quo tu turpissime? magna
Exclamat voce, & licet antestari: Ego vero
Oppono auriculam. Rapit in jus, clamor utrinque,
Undique concursus.

Quæ tamen licentia eo se non exerebat, ut quis ex domo sua in jus vocari posset, cum domus sua cuique tutissimum sit receptaculum, L. 18. ff. de in jus voc. Hic durior & inhumanior in jus vocandi modus paulatim ademptus, & modestior introductus. Postmodum vero privata citatio plane obrogata, & publica, quæ iussu Judicis per apparitores fiebat, est introducta. *Perez. ad C. tit. de in Jus voc. Struve S. J. C. Exercit. V. th. 7. Hilliger ad Donell. l. c. lit. 2. Schilter ad ff. Exerc. VII §. 4.*

§. III. Hodie omnis Citatio fit autoritate publica *Carpzov. P. I. C. 2. D. 26. Pr. XX. Lib. I. Tit. 4. art. 1. §. 1. & quidem vel Realiter, vel Verbaliter. Lanterbach. Comp. Jur. Tit. de in Jus vocando. p. 30. Realiter quis citatur, quando ipsa persona apprehenditur, & ad Judicem deducitur. De hac jam Qu. an quis realiter in domo sua citari possit? De Jure Civili certum quod non, per L. 18. ff. de in Jus voc. ita ut *Brunnem. ad all. L. dicat, hac in parte plus Juris habere domus privatas, quam publicas. Neque etiam hodie realis citatio ad domum fieri potest, sed tunc demum, (1) si debitor de fuga sit suspectus, (2) Si presentia, partis sit necessaria, (3) Si causa sit criminalis Emmer. à Rosbach in Process. Civil. Tit. 24. Myrsing. Cent. IV. Obs. 69. Sonneman. in Praelect. publ. ad LL. Notabil. ff. & C. lit. P. n. 19. Quid Jus**

Pruten. hoc in casu disponat, vid. *Pr. RN. Lib. I. Tit. I. §. 19.*
 & *Tit. XIV. Art. 5. §. 1.* Verbaliter citatur quis publice
 vel privatim *Lauterbach. l. c.* Privatim iterum vel viva voce,
 vel in scriptis. Utraque fieri potest ad domum, & si ci-
 tandus domi præsens non sit, vel sui copiam facere no-
 lit, tunc nuncius denunciatur uxori, vel uni ex familia Do-
 minum domus citari, vel scriptam Citationem uxori, libe-
 ris vel familiae tradit, vel si citatio non acceptetur vel reji-
 ciatur, ostio vel portis domus eam affigit. *Brumm in*
Proc. Civil. c. 3. Menoch. de recup. possess. remed. 3. n. III. à Ros-
bach in Pr. Civil. Tit. 24. Dambouder in Pr. Crim. c. 13. n. 4.
Carpzov. in Process. Civil. Tit. 7. art. 1. Pr. RN. Lib. I. Tit.
XIV. Art. 2. §. 2. & 4. & Tit. XLVI. Art. 2. §. 20. Publice
 autem fit citatio per Edictum, quæ propterea Edictalis di-
 citur, & aliquando in trium Dominorum territoriis affigi
 solet. *Stryck in Introd. ad Pr. Forens. c. 4. §. 3. Conf. hic pluri-*
bus Excell. atque Consultiss. Dn. Grub. Fautor atque Patro-
pus maxime devenerandus in Tr. de Process. For. Prut. Cap.
VI. §. 26. seq.

§. IV. Citationem sequitur comparitio coram Ju-
 dice ad illum locum qui in citatione expressus, seu ad lo-
 cum Judicii. *Stryck l. c. cap. 6. §. 1.* ubi *Q. an Judex in domu*
privata Jus dicere possit? apud Hebræos in portis urbium
 Judices Jus dixisse patet ex *Deut. XVII. v. 1.* De Augusto,
 refert *Suetonius in Vit. Aug. c. 33.* quod assidue jus dixerit,
 & in noctem nonnunquam: Si parum corpore valeret le-
 ctica pro Tribunali collocata, vel etiam domi cubans.
 Judicibus apud Romanos domi jus dicendi facultatem non
 fuisse ademptam colligere licet ex *L. 4. §. 1. ff. de Interrog.*
in Jur. faciend. Hodie non tantum in publico judicii lo-

co,

co., sed & in domu privata Jus dici potest, præcipue tamen
 cujuslibet loci consuetudo & Praxis inspicienda. Hic a-
 pud nos regulariter publica Judicium Collegia certa loca
 publica habent, in quibus Jus dicunt. Singuli tamen Ju-
 dices, uti sunt Consules, Prætores in privatis domibus Jus
 dicunt. Commissarii seu delegati vel in Conclavi Commis-
 sionibus destinato, vulgo *Commissions-Stuben* vel et-
 iam in domu privata convenire & jus dicere possunt.
conf. Schulz in Diss. de his quæ in domu Judicis fiunt. c. 3.

§. V. Si reus in loco Judicii comparet, vel Exce-
 ptiones proponit *Zanger. de Exception. P. II. c. 22. n. 3. seq.*
Stryck in Introd. ad Pr. For. c. 9. §. 2. vel litem conte-
 statur, & hoc quidem vel affirmative, vel negative. Si af-
 firmative, tunc salva res est, & reus condemnatur in id,
 quod Actor petit *Brunnem. in Proc. Civil. c. 21. n. 1. Emmer.*
à Rosbach. in Proc. Civil. Tit. 49. n. 6. 7. 8. Si negative re-
 spondet reus, tunc incumbit Actori fundamentum Actio-
 nis suæ probare, *Dn. Grub. all. Tr. c. 16. §. 1. & 3. Stryck all.*
Tr. c. 17. §. 1. quod vel modo Ordinario vel Extraordi-
 nario facit. Ordinario modo probat per testes idoneos,
 quos denominat, & ad dicendum testimonium producit,
 qui tamen antequam testimonium dicant, jurare debent,
Dn. Grub. l. c. c. 17. Rosbach. l. c. Tit. 57. ubi jam *Qv. quo in*
loco & an in domu privata hoc juramentum præstari possit? R.
 Jurare debent testes in Judicio coram Judice, ubi causa
 ventilatur. *Carpz. in Proc. Civil. Tit. II. Art. 3. n. 91.*
 Excipiuntur tamen personæ nonnullæ, quæ extra Judicium
 domi coram Depuratis vel Commissariis jurare possunt,
 quales sunt (1) personæ egregiæ *L. 15. ff. de Jurejur. v. g.*
 Consilarii Principis, item qui in dignitate Ecclesiastica vel
 Civili

Civili sunt constituti. *Menoch. de A. J. Q. Lib. II. Cent. i. cas. 50.* non enim convenit reverentiæ egregiis personis debita, si cum vilibus, præ quibus magna prærogativa gaudent, simul stent, uti loquitur *Magnificus Dn. Boltz in Disp. XXI. ad ff. tit. de Jurejur. l. i. e. p. 447.* (2) *Honestæ Matronæ Avib. Principales C. de Jurejur. propter Calumn.* (3) *Senes, inprimis valetudinarii L. 15. ff. de Jurej. Menoch. de A. J. Q. L. II. Cent. I. Cas. 60.* (4) *morbo detenti L. 8. ff. de Test.* (5) hoc privilegium extendunt nonnulli ad pauperem inprimis Nobilem, cui inverecundum est domo exire. *Tiraquell. de Nobil. c. 20. n. 47.* (6) aliqui excipiunt mulieres gravidas partui propinquas, qui timor est, ne pereant in via. *Farinac. de Test. Q. 77. 78. Hilliger. ad Donell. Lib. 24. c. 22. Brunnem. ad L. 15. ff. de Jurejur. Ruland. de Commissar. P. II. L. II. c. 5. n. 7. Setser de Jurament. Lib. III. c. 7. Berlich. P. I. Dec. 116. Mey. P. IV. Dec. 264. Disp. Martini de Jure Senum singulari c. 2. §. 10.* In Jure Prutenico certæ personæ recenseantur, quæ domi coram Commissariis ad hoc delegatis jurant, qui ad jurandum in Judicio compelli non possunt, sc. Personæ egregiæ, in dignitate constitutæ, Comites, Barones, Nobiles, Equites, Doctores, Licentiatii, Consules, Senatores, eorumque Conjuges, Clerici, Senes, qui 70. annum attigerunt, honestæ matronæ, valetudinarii & similes *Pr. R. Lib. I. Tit. XXXV. Art. 4. §. 2.* Extraordinario modo probat Actor per Juramentum, de quo iterum Q. *An hoc in domo privata præstari possit?* Resp. Regulariter in loco Judicii publice esse præstandum, tum ex Jurisjurandi sanctimonia, tum pro Jurantium religione & devotione excitanda, tum pro dijudicantium circumstantiis, unde multa discernere licet accuratiori dispectione,

ati loquitur *Mev. P. III. D. 421. n. 1. Carpeov. in Pr. Civil. Tit. XI. Art. 3. n. 11. Berlich. P. I. D. n6. idem de Jur. Pruten. Lib. I. Tit. 40. art. 6. S. 1. verb. In der gewöhnlichen Amts- oder Gerichts-Stuben öffentlich/ quæ dispositio peculiari Rescripto Elector. confirmata est, quod exhibet Dn. Grub. l. c. cap. XXV. §. 42. n. 206.*

§. VI. Postquam ergo Actor intentionem probavit, sequitur sententia quæ partibus presentibus publicanda: Q. vero *an illa in domu privata publicari possit?* R. quod regulariter in loco publico & solito sit publicanda, aliquando tamen etiam in domu privata possit publicari, præsertim si Judex in domu privata Jus dicat, vel sit Delegatus seu Commissarius *Dn. Grub. cit. Tr. c. XXII. §. 32. Brunemann. in Pr. Civil. c. 27. p. 50. 51. Menoch. de A. J. 2. Lib. I. 2. 64.* Si ex sententia publicata una vel altera pars sit gravata, appellationem ad Judicem superiorem interponere potest, & hæc interpositio Appellationis, vel in loco Judicii, vel in Domu privata Judicis vel Secretarii interponi potest, aut si Judicis copia haberi nequeat; coram Notario & Testibus appellationis interpositio expediri potest. *Berlich. P. I. Concl. 50. n. 55. Carpz. P. I. C. 20. D. 1. Mysing. Cent. IV. Obs. 44. & 45. Pr. Pr. Lib. I. Tit. 44. Art. 5. §. 6.* Excipitur tamen hic in Prussia Appellatio ad summum Tribunal, quæ coram Notario & testibus fieri non potest, cum ejusmodi appellatio sub pena irremissibili prohibita tam partibus, quam ipsi Notario *Pr. Pr. l. c. §. 7.* Ultimatum in processu est, ut sententia quæ in rem judicatam abiit Executioni demandetur, quæ Executio pro ratione causæ in domu privata fieri potest. *Vid. Dn. Grub. all. Tract. c. 31. §. 12.*

F

Et

Et hæc pro ratione institui mei sufficiant. Fateor
 multa adhuc dum, imo quam plurima dici hic potuisse,
 imprimis de delictis in domo commissis; Verum facile
 veniam à Benevolo & Candido Lectore me impetraturum
 credo, cum propositi mei non fuerit Tractatum aliquem
 conscribere, sed breves tantum Theses ad ventilandum
 proponere. Caterum Deo T. O. M. ex intimis cordis
 visceribus decentes & humillimas persolvo gratias, pro
 concessis huic labori viribus, & ut initium Studiorum ejus
 Gratia commendavi, ita etiam atque etiam infinita ejus
 Bénignitati commendo studiorum
 meorum

F I N E M.




7+10
TA → DC
↓

ULB Halle 3
004 598 555


1017





Bi. 3. num. 31. P. 25.

20

DISPUTATIO IVRIDICA, 1703, 2

DE IVRE DOMVVVM,

Vom Recht der Häuser / 12

QVAM ASSISTENTE DEO, RECTORE MAGNIFICENTISSIMO, SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO, DOMINO

FRIDERICO VVILHELMO,

REGNI PRVSSIAE, ELECTORATVS ET PROVINCIAR. BRANDENB. HEREDE, ETC. ETC. ETC.

CONSENTIENTE AMPLISSIMA FACVLTATE IVRIDICA, SVB PRAESIDIO

VIRI PRAENOBILISSIMI, CONSVLTISSIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI DOMINI

PETRI SCHWENNERI,

V. I. LIC. ET PROF. PVBL. CELEBERRIMI,

FACTORIS ATQVE PRAECEPTORIS SVI COLENDISSIMI,

IN ACADEMIA PATRIA,

HORIS LOCOQVE SOLITIS

AD D. XI. DECEMBR. ANNO CLO IC CC III.

PVBlicae VENTILATIONI SVBIIICIT

AVTOR

IOHANNES SCHROEDER,

REG. PRVSS.

EDITIO SECVNDA.



IENAE, TYPIS HELLERIANIS, 1724.

